



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divus Sebastianus Eberspergæ Boiorum Propitius, Seu Cultus Eiusdem Gloriosi Martyris à Prima Loci Fundatione Ad Nostra Usque Tempora Propagatus, Et Nunc Publicæ Luci Datus

Widl, Adam

Monachij

Caput VII. Memorabilia varia, quæ post obitum Fundatorum, ac totius
familiæ extinctionem Eberspergæ, circa S. Sebastiani Ecclesiam tam
antiquis, quàm hisce temporibus contigerunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37233

CAPUT VII.

MEMORABILIA VARIA,
QUÆ POST OBITUM FUN-
DATORUM, AC TOTIUS FAMILIÆ
EXTINCTIONEM, EBERSPERGÆ
CIRCA S. SEBASTIANI ECCLE-
SIAM, TAM ANTIQUIS, QUAM
HISCE TEMPORIBUS CON-
TIGERUNT.

Narratis tali modo primo-
rum temporum ac Fun-
datorum rebus præclare
gestis, eorumque stirpe, cum ita
Superis placitum, plenè extinctâ,
aliquantò propius jam ad postero-
ra tempora accedimus, ita tamen,
ut memorabilia quædam etiam de
antiquioribus, ubi occasio postula-
verit, hinc inde inspersuri simus.
Cum verò Historiam in hoc meo
Tractatu ex instituto non profitear,
sed primariò cultum & beneficia
D. Sebastiani describenda in me su-

*Propositum
Auctoris.*

N sce-

sceperim; idcirco plurima mihi
prætereunda esse censui, quæ ad
hunc finem & propositum non ser-
virent: parùm enim curiositatis
plurimum verò Religionis interest.
Perinde ergo, uti multi fontes sunt,
qui clam intra montium & terrarum
tebras cum silentio manant, in
multæ res contingunt, quæ nihil aliis
alios pertinent, & meritò suos in-
tra canales retinentur. Sed ne-
Apes, quantumcunque sedulæ &
argumentosæ sint, continuò omnes
flores libant: à multis omnino ab-
stinent, alios aspectos & obiter su-
lutatos prætereunt, aliquos vero
melli commodiores fugunt conti-
nuò, & in materiam suam vertunt.
alios levi duntaxat osculo mulcent,
alios secum ferunt; ita & nos alia
quidem prorsus omittemus, per-
stringemus alia; nonnullis de in-
dustria immorabimur, illis præfer-
tim, quæ proximè Divum nostrum
ejusque cultum, uti paulò antè in-
finuavi, contingunt.

§. I.

MEMORABILIA ANTIQUA.

NArrationem ordior à casu toti Eberspergæ ab hominum memoria funesto imprimis, ac luctuoso. Accidit is Anno Christi M. CCCV. dies erat Maij quartus S. Floriano Martyri Sacer, quo jam in vesperam declinante, ortum est repente sævum incendium flammâ tam voraci & insuperabili, ut intra noctis unius spatium totum Monasterium, templum ipsum, & quicquid erat officinarum, miserabili prorsus spectaculo penitus deflagaverit. Tolerabilis domûs ac ceterorum jactura fortè censerî poterat, cum ita acciderit, nisi etiam omnis Ecclesiæ sacra supellex, serica & argentea, Ornatus templi, tapetia, Phrygii operis emblemata, Divorum item Reliquiæ gemmis, & argento pretiosæ, eodem igne correptæ, uti

*Incendium
Monasterii
Ebersper-
gensis.*

N 2 &

*Servatum
in incendio
Cranium S.
Sebastiani
atúsque Sta-
tuae.*

194 *Memorabil. antiq. post mort. Funda*

& scripta documenta pleréque in-
teriissent. Grande nihilominus mi-
raculum in mediis flammis, ipse
igne illustrius eluxit, quod D. Se-
bastiani Cranium, ipsáque Divi
gentea Statua immani hoc inval-
scente incendio intacta ambo pe-
stiterint, nec non lignea quædam
ejusdem Sancti cubitalis imago
quæ inter vivas prunas inventa, sed
ab illis inviolata, & non nisi fumo
aliquantum afflata postmodum ad
perpetuam rei memoriam in pu-
blico templo supra ferreos claustrum
Choro Ecclesiæ prætentos statua,
& collocata etiamnum à piis pere-
grinis colitur, appenso picto titulo
in formam scuti confecto, qui re-
seriem explicat brevi epigraphæ
stylo vernaculo.

Tanta igitur cum fuerit ignis re-
verentia in venerabile Divi Tur-
laris Cranium, ceteris omnibus fere
consumptis, est sanè, cur nobis etiam
reliquum damnum gratulemur, ac
in

circā S. Seb. Eccles. Ebersperga facta. 195

in lucro reponamus ipsum detri-
mentum: nam, si pretiosum hoc
quoque ipsanum incendio illo pe-
riisset, fortè etiam Religio & pere-
grinorum confluentium numerus
multum sui imminutione passurus
fuisset. Mansit præterea illæsum
Beatiss. Virginis Sacellum, tametsi
contiguum, & proximum Sacello
S. Stephani, quod & ipsum, & ce-
tera, quæ circum stabant, exusta
luculento testimonio sunt, etiam
igni Elementorum rapacissimo res
Sacras in pretio esse, & venera-
tione.

*Illæsum Sa-
cellum Bea-
tiss. Virg.*

Quàm miserabilis tunc Eber-
spergæ facies fuerit, faciliùs cogi-
taverint, qui hæc legunt, quàm ego
scripserim. In cineres, uti dictum,
subsederunt pleraque, DEO, quan-
tùm fas est opinari, antiquæ Eccle-
siæ exustionem permittente, ut se-
cutoris annis de antiquo cinere sur-
geret Templum novum multò splen-
didius, amplum, & aliquot millium

N 3

ca-

capax, illud ipsum, quod antiquo opere ac firmo, hodieum visitur, altum, magnificum, triplici nave, vocant, distinctum, eleganti fornice apertum, gigantæis Colossis, seu totidem Atlantibus sustentatum, peramœnâ formâ, luce copiosa illustre, dignum S. Sebastiano domicilium & adventantium peregrè Advenis sacrarium.

Atque ita quidem incendium se habuit, ab illo autem nos alia narratio avocat, quæ ut passim intelligatur, operæ pretium esse videtur. Solebant antehac à pluribus retro annis pii peregrini pleno, confertoque agmine volantibus vexillis & labaris ad invocandum S. Sebastianum solenniter Eberspergam confluerè ipso Ascensionis Domini pervigilio. At verò hic dies postmodum de imperio majorum meritum in alium translatus, ac commutatus est. Occasio translationis fuit, quam subjungo.

Vo-

Volvebatur Annus à Christo mil-
lesimus trecentessimus octuagesi-
mus octavus, quo DEO placuit su-
am Bavariam, multis aliis argu-
mentis dilectā novo thesauro, ha-
ctenus incognito beare. Jacebant
multis retrò annis, vel fortè etiam
Seculis in montis Andecensis, seu
Sancti, ædicula, sub ima terra re-
conditæ nobilissimæ Sanctorū Re-
liquiæ. Has, DEO revelante, ti-
midus mus ex latebris suis exiliens,
ac schedam rostello suo præferens
detexit: Scriptura namque indici-
um fecerat latentis thesauri, quam
secuti illi, quorum intererat, ege-
stâ humo plumbeam capsam effo-
derunt, in qua divini Panis formæ,
seu Hostiæ prodigiosæ tres, aliæque
præcipua lipsana recondebantur.
Qui accuratiorem Inventionis hu-
jus descriptionem avet, consulat
Metropolin Hundii, Chronicon
Andecense, Excubias Tutelares
Brunneri; Nos ea duntaxat hîc po-

*Dies Solen-
nissimæ sup-
plicationum
translatæ.*

198 *Memorabil. antiq. post mort. Funda*
nimus, quæ ex occasione ad rem
nostram pertinent. Cùm igitur Sa-
eri hujus thesauri inventi lætissima
fama totam Bavariam, uti par erat
exhilarâisset, & mox pietas recer-
ac festiva totam populi accurren-
undam, imò. integras Urbes ad
in Montem sanctum Andecensem
de imperio Principis ipso Ascensio-
nis Domini pervigilio traxisset, In-
dulgentiis etiam Plenariis à Nico-
lao V, eum in diem concessis ardor
fidelium ampliùs inflammatus fu-
isset, inde factum est, ut Ebersperga-
rum temporis longè pauciores in
eo pervigilio, quàm antehac pere-
grinos numeraret. Quare Præsi-
des religioni loci, atque frequentia
consulturi, eò tandem permoti sunt,
ut, si pristinum populum, ac nume-
rum Eberspergam revocare, ac de-
inceps secuturis annis ibidem con-
servare percuperent, diem aliud
pietati pristinae solennem nomina-
rent, ac constituerent: quod & fa-
ctum

ctum est, uti prudenter, ita etiam feliciter, priorque supplicationum Sanctitas in pervigilium Dedicatio- nis Ecclesiae, quae in Dominicam secundam post Pascha, Misericor- diae appellatam, incidit, translata est, qui dies etiamnum publicis nundinis, & ostensione sacrarum Reliquiarum à pluribus mortalium eo confluentium millibus ibidem colitur, ita, ut templum sanè am- plum proceltae populi quandòque nimis angustum sit.

Quoniam autem hoc loco sacra- rum Reliquiarum, quas Ebersperga servat, & praecipuam Religione colit, mentio ex occasione facta est, rem gratam pio Lectori me facturum arbitratus sum, si praeteritis silentio minoribus, praestantiores illarum hic allegarem, quarum utique lon- gè plures futurae erant, nisi edax ille ignis, de quo paulò supra me- minimus, toto exusto Monasterio & templo, etiam Sacrum hunc the-

N 5 sau-

200 *S. Reliq. de Vestib. Christi, & armis*
saurum absumpsisset, ac Divorum
Cineres redegit in cineres,

PRÆSTANTIORES
QUÆDAM RELIQUIÆ, QUAS
EBERSPERGA SERVAT, AC
LIT. DE VESTIBUS CHRISTI ET
ARMIS REDEMPTIONIS
NOSTRÆ.

SERVAT Ebersperga jam ab anti-
quo plures particulas de rebus
illis, quas Christus, cum in terris
versaretur, usu suo consecravit, no-
minatim de Præsepi Christi, de
pannis & fasciis, quibus infans fuit
involutus. Frustillum item de ru-
nica Christi, non eâ, quæ fuit in-
confutis: De Columna Christi, de
lapide, Sanguine Christi signato, de
ipsis flagellis Christi, de monte Cal-
variarum, de Sepulcro Christi: plu-
res item particulas de sancta Cruce,
quarum una notabilis & majus-
cula.

Inter

Inter has eminent Notabilis pars Sudarii Olivetani, Sanguine Christi imbuti, quo Christus Redemptor noster prodigiosum illius horti Sudorem tersisse creditur, cujus sanguinei roris guttæ, ac characteres etiamnum clarissimâ rubricâ in peplo illo apparent; quod sanctissimum Redemptionis nostræ spoli- um, Divini Sanguinis pretio liberaliter tinctum ac purpuratum Religiosissimus Abbas Eckardus dono Sereniss. Bojorum Ducis, cui in paucis eharus & acceptus erat de singulari gratia obtinuit, & postmodum argenteâ, ut vocant, Monstrantiâ visendi operis, decentissimè inclusit.

Habetur ejusdem curâ in conquirendis Reliquiis post ingens illud incendium perquâm diligenti, ac sedulâ, notabilis particula Coronæ spineæ, in parvum sertulum contorta, itidem argenteæ hierothecæ inclusa. præter hunc Sacrum

ra-

ramusculum adsunt duæ aliæ Spinæ
 majores ex eodem Christi Regnatis à ligno diademate, dono Authenticò Serenissimi Guilielmi V. Ducis Bavarix, de cujus auctoritate explicatiùs agemus §. seq. Ad sunt præterea duæ particulæ de fœra quadam Hostia, quæ ante ducentos annos, & ampliùs mirabiliter, uti antiquus Reliquiarum Liber vetustissimo caractere scriptus refert, in carnem fuit conversa.

DE RELIQUIIS BEATISSIMÆ VIRGINIS.

Servantur particulæ quædam de Veste & Toga Beatiss. Virg. De ejusdè Velo & Cingulo, Item aliquid de Crinibus. Quibus ad numero notabilem imaginè ex Quercu Fojens.

RELIQUIÆ DE SS. MARTYRIBUS, CONFESSORIBUS AC VIRGINIBUS.

Præmarium, quo Ebersperga jam à septingentis annis & ultra gloriâ

gloriatur, ipsanū est, Cranium S. Sebastiani Mart. de quo cūm fusissimè supra in vita S. Sebastiani §. 4. & in Eberhardo I. Semptensium Comite dictum sit, eò pium Lectorē remitto.

Adest præterea extrema Cuspis, seu Sagittæ spiculū, quo Divus ad palum fuit impetitus ac contactus, Ad sunt plura ossicula de eodem S. Martyre.

Adest Dens S. Joannis Baptistæ, Dens item S. Mauri Martyris: Integer digitus nominatissimi Martyris S. Vincentii: Ossa plura & magna tam de Societate S. Mauriti, quàm S. Gereonis: Crania duo ex Societate S. Mauriti: Mentū unius ex Thebæis: Costa una ipsius S. Gereonis Mart.: Os magnum ex Societate SS. Maurorum. Servatur porrò digitus S. Romedii Comitis, quatuor Crania ex Societate S. Ursulæ dono Sereniss. Ducis Bavariz Guilielmi V. de quibus §. sequenti. Ossa plura & magna ex eadem Victrice Societate: Os item magnum
de

de S. Bufina Virg. & Mart. quæ omnia ut plurimum argento inclufis religiosiffimè affervantur, in quibus breviffimè recensendis fecimus eruditiffimum Bollandum qui in Actis fuis, quæ fcripfit de Sanctis, poft enarratas vitas, apponit etiam, ubi poteft, locum Reliquiarum. Laudetur DEUS in Sanctis fuis,

§. II.

MEMORABILIA POSTERIORUM TEMPORUM.

*Societas Iejn
Eberspergam
introducta.*

Quomodo, & quâ ratione Anno Millefimo Quingentefimo Nonagefimo Sexto Societas Iejn Eberspergam introducta, & locus ille Collegio Monaceni traditus fit, confulatur Clariffimus Vir *Wolfgangus Fundius*, ejusque profectus *Doctor Gerwoldus* in aucta *Metropoli Salisburgensi Tom. 2. fol. 285.* Facta porro eâ introductione, prima

tim Societatis cura fuit, divinum cultum, sacram suppellectilem, honorem D. Sebastiani, animarum salutem vel conservare, vel augere, labores Instituto proprios haud intermittere, sed in nova statione cum additamento etiam multiplicare, imò non tantum intra domesticos parietes illos continere, verum etiam foras institutis quaquaversum in Oppida & Pagos Missionibus dilatare.

Primo igitur statim tempore, nimirum, Anno Seculi illius Nonagesimo Nono impetrata à Serenissimo Guilielmo Duce Bavarix sunt pro templo Eberspergenfi quatuor Crania ex Societate S. Ursulæ, item Costia S. Gereonis, duo Crania ex Thebæa Legione, nec non Scriniola aliquot Damascenâ telâ decenter obductâ, plena diversorum Sanctorum lipsanis.

Non multò post, videlicet Anno M. DC. I. cum Summus Pontifex Cle-

*Impetrata
Reliquiæ
Sanctorum*

*Indulgentia
Plenaria*

Clemens VIII. intellexisset, Sacrum
 D. Sebastiani Cranium Ebersperg
 præcipuo cultu haberi & visitari
 multis millibus peregrinorum
 confluentium, ad promovendum
 illius Divi honorem plenarias In-
 dulgentias bis per Annum Iueran-
 das Ecclesie illi impertivit, tempus
 verò Superiorum loci designationem
 reliquit, qui Feriam III. Pentecostes
 peregrinis frequentissimam, non
 non diem octavam Septembris
 Festum Natæ Virginis elegerunt.
 De incremento Cultûs S. Sebastia-
 ni, deque ejus prodigiosis benefe-
 ciis in supplices suos collatis, infra
 peculiari capite comodiùs agetur.

Anno M. DCX. plenus & liber
 aræ summæ prospectus est apertus
 remoto Odzo medio, quod à mu-
 ro ad murum transiens oculum im-
 pediebat. Singularis item templo
 decor eodem ferè tempore accessit
 ab ara summa tota nova artis scul-
 ptoriæ perelegantis.

Sub

Sub idem tempus ex munificen-
tia Serenissimi Ducis Guilielmi ra-
rum iterum & pretiosum donum
obvênit, duæ scilicet Spinæ maju-
sculæ & valde conspicuæ ex Christi
Coronâ, omnibus Cæsarum fertis
potiore. Eas Serenissimo Principi
dono submiserat Illustrissimus D.
Joan. Christophorus à Westernach
Magni, ac Nobilissimi Ordinis Teu-
tonici Commendator in Kapfen-
burg &c. Quas ipse ceu genuinas
& Authenticas acceperat à Norin-
bergenfi ejusdem Ordinis Comen-
datore, huic ceu sacrosanctas & in-
dubiæ fidei relictas ab Avo suo, qui
in Palæstinam peregrinatus eas se-
cum retulerat, & in domestico Sa-
crario diu asservârat Plura alia
dona Templo etiam à Principibus
oblata infra dabimus, ubi peculiari
loco ex instituto de Benefacto-
ribus agetur.

○

§. III.

§. III.

BELLI INCOMMODA
EBERSPERGÆ.*Bellum Sueu-
ericum.*

SEquuntur jam anni, uti toti Pa-
triæ luctuosi, ita etiam Domi-
cilio huic admodum calamitosi et
funesti, quando Mars Suecicus, ca-
taclysmi instar, totam Bavariam re-
pentinâ procellâ inundavit. Cur-
rebat Annus M. DC. XXXII. quan-
do prima hostis in Boicâ infusi fa-
ma præcucurrit; jamq; XVIII. Maji
una Suecica turma equitum Zor-
noldingam tribus horis Eberspergâ
distantem delata fuerat, quæ tamen
ob paucitatem contemptui magis
fuit, quàm terrori, præsertim cum
Wasserburgo supervênere quadring-
genti equites provinciales, quibus
immisti Croatæ erant, sive ad tute-
lam loci missi, sive ut Suecos hinc
inde palantes perquirerent. Jam-
que illis aliquot velitationes cum
hoste

hoste non inprosperè cesserant; cum Sueci suorum sanguine irritati & suppetiis aucti eos majore numero adorti fugârunt, & procul Eberspergâ averterunt, locôq; mox potiti plus quàm hostiliter ibidem omnia turbârunt, nullo Sacrorum, nullo personarum discrimine. Expilata omnia & diffracta; profanatum indignis modis templum & in stabulum versum; vastatae arae; Deturpata Religiosa domus, ut præter fordes nihil reliquum esset: exusti præterea coloni plurimi, Toparchia ferè omnis fœdè habita ac dilacerata.

*Hostium
Cruelitas.*

Erant tum Eberspergæ gemini Patres, qui & odio Religionis & spe pinguis lytri capti, & inter militaria probra aliquantum circumducti, postmodum ab insolenti milite Neoburgum tracti magis, quàm vecti sunt. Tertius Religiosorum incolarum fuit in Temporalibus frater adjutor, Blasius Schölling

Capri Patres.

O 2 appel

*Crudele Sup-
plicium &
Mors Blasij
Schölling
Adjutoris
de Societate
IESV.*

appellatus, gnavus Oeconomus, & vita diu probatae optimus Religiosus. In hunc unum tota hæreticavis & petulantia incubuit cum putarent, eum Sacri Ecclesiae thesaurum alicubi reconditi esse conscium, quem tollere cupiebant vultures, non tam sacri argenti cupidi quam jurato in Romanam fidem odio accensi. At ipse stante fronte & imperterritâ mortem excipere maluit, quam Thesaurum prodere, indignum ratus, Sanctum dare canibus, aut margaritas ante porcos proicere.

Et sanè mortem oppetiit Blasius Religioso Viro dignissimam, ut tormentis, ita etiam gloriâ plenam. Sueci enim, cum nec minis, nec verberibus quicquam proficerent, vestibus Religiosis expoliatum stipiti alligârunt, quasi in D. Sebastiani contumeliam: tum frontem contortâ & violenter circumactâ resti fortiter adstrictam, & inserto

bacillo totum caput corollâ ex fune
interceptum, ac cum intentione
adductum dirissimè excruciarunt,
protuberantibus sub immuni tor-
mento extra specus, & cavernas
suas oculis, & cranio vix non dis-
siliente, donec tandem unus eorum
seu moræ impatiens, seu ex com-
miseratione venerabilis senis im-
misericorditer misericors stricto
acinace nodum simul funis, simul
& cranium valido ictu medium di-
vinit, ac cerebrum dispersit. Passus
est fidelis DEI servus Eberspergæ
1. Junii Anno Christi Millesimo
Sexcentesimo Trigesimo Secundo.
Philippus Allegambe *in Mortibus
Illustribus* & Mathias Tannerus *in
Societate IESV ad sanguinis usque pro-
fusionem in terris militante* fratrem
Blasium sancti secreti tenacem in-
ter purpureas sanctæ fidei victimas
collocant. Qui Auctores suo loco
& anno videri poterunt ab iis, qui
O 3 fusio-

fufiorem ftylum amant, nos com-
pendio studemus.

*Rusticorum
tumultus, &
elades Eber-
sperga.*

Hæc hostium procella fuit, quam
non multò post, necdum elapfo
biennio alia excepit vix mitior, eâ
que domestica, ex conglobatione
tumultuantium rusticorum orta.
Ejus rei veritas ut publico magis
testimonio comprobetur, quàm no-
stro, ipsius Bavaricæ Historiæ toti-
dem propè verbis seriem referre-
mus. Sic illa habet *part 3. lib. 19.
n. 32.* Confluxerat cis Oenum sub
Annum ineuntem M. DC. XXXIV.
non exigua rusticorum turba ad ul-
ciscendas & arcendas deinceps mi-
litum injurias nullo hostis amicitie
discrimine. Ebersperga municipi-
pium est, D. Sebastiani cultu in-
signe, quarto Monachii milliari di-
stans. Eò convenerant Agricolarum
admodùm septingenti. Subinde
milites non magno numero ad XV.
Calendas Februarii ad deterrendos
potiùs & domum retrudendos im-
perus

petus (ita enim disertè Maximilianus Elector imperaverat) quàm ad obterendos advenerunt. Ausi Coloni, velut justam pugnam commissuri municipio excedere. At ubi ordines adequitantes conspexêre, territi tormenti campestris fragore fugam arripiunt. Pars ferro cæsi in fuga, pars in rusticanis domibus, aliis saluti pedes fuêre, silvæ & paludes, in quibus latuêre, donec ira militis deferbuerat. Ignis injectus in ædes hujus tumultûs antesignanum cum viginti duobus aliis exussit. Ista carnificina Maximiliano valde displicuit. Supplicium non evasissent Auctores, nisi mitigâset sententiam peccantium multitudo, ira laceßita, & furor Martius, qui, ubi ferrum stringit, sævit sine modo, nec est ampliùs compos sui. Huc usque Bavarica historia. Quibus ad explicandas rei, lociq; circumstantias pauca de domestica penu nostra addenda cen-

leo. Copias illas quæ ad dissipandos seditiosos missæ erant, ductabat supremus vigiliarum Præfectus Croneburgicus, vir bello strenuus. De rusticis trecentos ferè, quantum iniri numerus potuit, desiderat s Annales nostri memorant. Miserabilis tunc facies Toparchia erat: nam, ubi digressis Croneburgicis aliquantum nos circumspicere cœpimus, nihil non triste & ferale vidimus. Fumabant eriamnùm tecta & ædes. Jacebant passim mortuorum corpora, & dispersi hinc inde humani artus, veluti commissis in acie signis, strata in decretorio campo magnæ ex clade reliquæ. Primus itaque labor noster fuit, sepelire miserè concisa, aut ambusta cadavera, quotquot capiebat cœmiterium. Quæ superfuere corpora, in vicinis collibus, & assurgentibus tumulis defossa sunt: Nam quid mortuorum tandem interest, ubi putrescant?

Miseræ Ebersperga facies & status

Tri-

Tristissimo hoc tempore, ut uni-
cuique sua quoque laus constet,
præter insignem multorum Oppi-
danorum patientiam, eluxit præser-
tim Eberspergensium Conjugum
ac puellarum Amazonum fortis in-
tuendo servandoque pudore ani-
mus, & victrix castimonia. Multæ
illarum propterea à spurco milite
ad flagitium sollicitæ, cum resiste-
rent, inhumaniter habitæ, verbe-
ribus affectæ, ita comparatæ erant,
ut mori mallent, quàm fœdari, for-
mosæ Castitatis victimæ.

*Eberspergen-
sium femi-
narum fortis
Castitas.*

Atque ita quidem hic annus
Eberspergæ valde infaustus & ca-
lamitosus fuit, quo tamen etiam-
num multa D. Sebastiani in mise-
ros beneficia extitère, quæ infra
commodiore loco dabimus. Ab
eo autem tempore utcunque quie-
tis nobis esse licuit, usq; ad annum
currentis Seculi M. DC. XLVIII.
quo demum Lyco transito, uterque
hostilis exercitus rursus in Bavari-

O 5 am

*Altera ho-
stili incur-
sio.*

am se infudit, & sedem belli ibi
dem posuit. Prospectum quidem
erat Residentiæ nostræ de literis
telaribus, & data fide (Salvam Guar-
diam extra Latium, corrupto vo-
cabulo & vulgò dicunt) ab utroque
Supremo Belli Duce Turrenio
Urangelio acceptis. at parum au-
toritatis & reverentiæ eæ tabulis
habebant apud prædabundum
sua spontis militem, cupiditate
hæresi præsertim in Catholicos oc-
censum: id, quòd re ipsa patuit
IX, Augusti Anni ejusdem, quo du-
centi Suecici equites ductore qua-
dam Brunello Pomerano, glorioso
milite, nec ignobili accipitres de Le-
gione Horniana huc delati omnia
ad purum, ut ajunt, hostili rapaci-
tate expilârunt. Nihil, uti dixi ex-
hibitis illis datæ fidei ac securitatis
literis moti, quasi nullæ essent.

Ceterùm ab eo tempore domus
ipsa Eberspergensis intacta deinceps
ab omni violentia stetit, &, quod
ma.

magis mirum, in communi patriæ
æstimatione, omni quoque penso
redimendis focis indicto, quod pe-
culium vulgò incendiarium appel-
labant, omnibùsque Civitatibus,
Cœnobis & Oppidis perquàm ac-
curatè & severe ab hoste per Su-
periolem Bavariam impositum, &
cum rigore exactum fuerat, seu per
oblivionem, seu dissimulationem
immunis omnino & libera præte-
rita fuit, nullâ unquam factâ ex-
actionis mentione à quoquam. Id,
quod ipsimet Serenissimi Principes
nostri, aliique viri prudentes me-
ritò admirati, nobisque gratulati
sunt Quo in puncto nos rursus pro-
nissimi Opilionis nostri pro Eber-
sperga sua satagentis favorem, &
Divi Tutelaris benevolentiam salu-
briter experti sumus, cui meritò
tam insolitam hæretici hostis, aliàs
diligentissimi, humanitatem & mo-
destiam, si ea talis fuit, adscripsi-
mus.

*Immunitas
à tyro di-
vina Provi-
dentia ad-
scripta.*

Post

*Novum Re-
sidentia
Ædificium.*

Post superatas tali modo bell
diurni procellas, successere de
inceps latiora, inter quæ primum
fortè locum meretur novum pro
fus erectum Ædificium ea ex parte
quâ ex colle Orientem respicit ho
rizonte longè latèque aperto. Di
rutum omnino est antiquum Mo
nasterium; ex ea autem parte, quæ
Occidentem spectat, totum quan
tum relictum est, quale fuit à die
bus antiquis. Primus lapis novæ
fabricæ solitâ epigraphæ inscriptus
uti mos fert, cum Sacris, & pro
fanis cærimoniis solenniter positus
est Anno M. DC. LXVI. die XXIV.
Maii, eductique muri principales
eodem adhuc Anno in id fastigi
um, ut adversus hiemis injurias
totum imponi tectum potuerit me
dio Novembri. Porrò ædificii hui
jus tandem suscipiendi non tan
tùm occasio, verùm etiam justissi
ma necessitas erat, antiquæ nimis
rum habitationis malè cohzrentis ad

ad usus nostros ingens incommoditas, partim etiam ruinæ, quam pluribus locis minabatur, metus, ac periculum continuum.

In hunc censum etiam venit Parochiale templum, quod nitidè renovatum, novo ac magnifico Altari Summo exornatum fuit. Ejus imago, quæ D. Valentinum Episcopum & Martyrem repræsentat, Storrero, præclato Seculi nostri Apelle, gloriatur. Turris præterea ejusdem Templi ferè à fundamento tota nova extructa, novâ superimpositâ cappâ, seu pileo coronata est.

Hoc loco quoque adjungo Statuam D. Sebastiani, quæ in ara Summa Templi nostri stat conspicua, arbori alligata & sagittis confixa. Ea, uti primitùs à Sculptore erat efficta & repræsentata, nuda ferè tota spectabatur. Vestivimus illam hoc anno, quo hæc scribo, M.DC. LXXXV. eleganti militari fago, more Romano, purpureo Bal-

*Templum
Parochiale.*

*Statua S.
Sebastiani in
Ara Summa*

Baltheo per medium volante, Du-
 cali pileo capiti superimposito, pa-
 ludamento rubro Divum ex omni
 parte circumfluente, loricâ aureâ
 pectus muniente. Pridem id fa-
 ctum optabant plures, & deor-
 ipse postulabat, partim ut oculis
 haud satis cordatis in aspiciendi
 nuditate consuleretur, partim ut
 ipsâ splendidæ vestis augustioris
 specie Divo major veneratio apud
 simplicem plebem, quæ externis
 maximè rebus afficitur, concilia-
 retur.

Atque hæc sunt ferè memora-
 bilia nostra, inter quæ tamè locum
 fortè etiam invenire poterunt ea,
 quæ à tempestatibus & aëris intem-
 perie Templo ac Domicilio accide-
 runt, ubi tamen semper præsentem
 domestici nostri Sancti opem, ut
 piè credimus, experti sumus, qui
 Cæli injurias, vel à domicilio suo
 avertit, vel certè mitigavit. Anno
 igitur M. DC. XXVII, jam pron-
 &

& exeunte Decembri, cum solito
vehementiores venti flarent, eo-
rum invalescente vi, superior pars
turris nostræ, quâ lignea erat, tota
dejecta, & nudata penitus fuit, eo
sanè impetu, ut ponderosiora tigna,
& traves in tectum templi deci-
derint, idque fœdum in modum
lacerârunt, leviores verò per aërem,
quò ventus raptabat, nullo ordine
volitantes ad ipsum usque horti in-
ferioris monticulû se rotârunt. Simi-
lis turbo ab Aquilone veniens To-
parchiæ toti & domui nostræ rursus
incubuit Anno M. DC. XXXVIII.
tertio Februarii, qui undequaque
furens, in silvis præsertim, cum
excidio plurimarum arborum radi-
citibus evulsarum, domi quoque sæ-
viens murum bene solidum inter
templi fores & atrium Residentiæ
spatio multorum passuum stravit &
solo afflixit, insuper totum tectum
turris, seu ejus pyramidem funditus
sustulit, summam etiam templi par-
tem,

Dammum à
vento.

rem, quâ Aquilonem respicit, tegulis stratam secum rapuit; unde satiùs deinceps visum, illud templum, ipsamque turrim non jam coactis lapidibus, sed ligneis scandulis insternere ad evitandam stragem, quam volucres per aërem regere hinc inde vel minabantur, velebant.

*Fulmen de
Cælo.*

Divi quoque Sebastiani præsidio adscribimus, quod Anno M. DC. LXIV. accidit, quando in festum de cælo fulmen in ipsum Sacelli ejus tectum incidit immani quidem fragore, nullo tamen alio edito damno, aut post se relicto stragis vestigio, præter lapidem e muro violenter excussum.

Recruduere subinde venti, illi hinc, si uspiam alibi ferociores, seu naturâ loci & sitûs, seu concurrentium collium, ac nemorum quodammodò carcere arctati, ex quibus angustiis semel eluctati, & foribus inventis libertate suâ potius forte

fortè eò potentiùs furunt. Similis
ventus Anno M. DC. LXXI. anno-
sam illam ac proceram Tiliam in
horto superiore pluribus seculis fir-
mam incredibili violentiâ fœdè di-
scerpfit, & vix non totam pessum
dedit, ut radicitùs tandem evellen-
da fuerit.

*Iteratiss
fulmen.*

Añus postmodùm M. DC. LXXIII.
ex eadem aëris inclementia Eber-
spergæ multùm formidinis attulit,
cùm XVI. Junii circa vesperam in-
gens rursus fulmen in turrim no-
stram tempestatibus valde obviam
excussum est, nullo tamèn alio no-
tabili damno, quàm quòd majo-
rem campanam illapsu suo fiderit,
& ad pulsum inutilem reddiderit,
nec non lapidem in templo la-
xaverit. Verùm de his
fatis.



P.

§. IV.

§. IV.

SEPULTURÆ ILLU-
STRIUM IN TEMPLO S. SE-
BASTIANI EBERSPERGÆ.

FInem impono toti huic materiae de memorabilibus narrationibus magnorum quorundam funerum quæ tumulum in nostro templo in-
venerunt. Principem jure suo mentionem meretur marmoreum illud Mausolæum Udalrici Comitis Sem-
ptensis, de quo fusè supra egimus, & Richardis Conjugis, quod breviter calamo nostro ob oculos ponimus: Riget hoc Sepulcrum, in medio templo situm, ex vivo, eoque porphyretico marmore: super terram & pavementum amplissimam urnam eminet, vix non viri altitudine. Moles peritissimum sui temporis & seculi Phydiam loquitur: stupent, quotquot vident, imagines Fundatorum, & aliorum artificioso

*Mausoleum
Fundatorum
Udalrici Co-
mitis, & Ri-
chardis Vxo-
ris.*

scalpro ad vivum excisas, & sum-
mâ diligentia elaboratas; dubites,
formane, an materia, an ars ipsa
superet. Limbus mortualis crateris
nomina Fundatorum & Comitum
Semptensium, breves item alias in-
scriptiones tum latinâ, tum ver-
naculâ linguâ exhibet. Opus to-
tum marmoreum ferreis clatris in-
cinctum, veluti quodam satellitio
circudatum stat, ad cohibendam
vim, quæ à confertis quandoque
peregrinis immineret.

Præter hunc insignem tumulum
videre est plures Sepulcrales lapi-
des ex marmore, arte item scul-
ptoriâ, sed vulgari. Verùm cum
literas & apices vel antiquitas, vel
situs etiam in ipso marmore ævum
non ferente exederit, & magnam
partem eroserit, ita, ut neque à di-
ligenti oculo vetusti characteres
legi queant, veniam utique mere-
bimur, si nomina illa in libro vitæ
scripta, hîc loci in publicam lucem

non effodimus, sed pios manes potius quietè dormire sinimus, usque dum suprema tuba clangore suo mortuos de stratis suis expergefaciat.

*Sepultura
Illustr. Fam.
milia Baro-
num à Bien-
zenau.*

Inter illos, qui de Illustri Sanguine censentur, sepulturam suam & solennem Anniversarium diem cum cantata defunctorum vigilia & officio funebri in Ecclesia S. Sebastiani antiquitùs jam à trecentis annis nacta est Perillustris Familia Baronum de Bienzenau, quibus à Præsule Philippo per conventionem, ut vocant, assignatum olim est Sacellum S. Stephani, nunc S. Ignatii Fundatoris Societatis Jesu, quod pendula Baronum illorum gentilitia scuta, nec non Insignia majorum, ac vastos sepulcrales lapides antiqui operis parieti immixtos ex marmore passim intuentibus ex utròque latere exhibet. Porro ipsi hypogæo, seu cryptæ subterraneæ, quâ Illustria funera recipiuntur,

tur, impositus grandis sepulcralis lapis ex marmore hanc, quam apponimus, inscriptionem nostro primum ævo incisam præfert,

Huc divertite Hospes.

Uno lapide

Tota hic tegitur Domus

Illustrium DD. à Bienzenau.

Dic verbo:

Pax huic Domui!

Et abi.

Dispone & tu Domui tuae,

Sic olim habitaturus.

Anno M. DC. LV.

*Epitaphium
ejusdem Illust.
Familie*

Hujus Nobilissimæ Familix Heroibus appositus est, dum Societas Jesu Eberspergæ domicilium fixit, vir minimè tacendus, & verè magnus, sanguinis sui ornamentum singulare, Illust. D. Joannes Fridericus L. B. à Bienzenau, Sereniss. Electori Maximiliano à Secretis & in-

P 3 timis

timis consiliis, nec non Serenissimi
Electricis Mariæ Annæ, post mor-
tem Serenissimi Conjugis, Regentis
in Bavaria supremus Aulae Præfe-
ctus &c. Hic, inquam tantus vir
deque Republica tam bene meri-
tus, post visum in supremo morbo
S. Franciscum Xaverium Indiarum
Apostolum, cui erat in vivis ap-
primè addictus, quemadmodum
domestica meminit Historia, inter
præclara victricis patientiæ exem-
pla vivere pientissimè desuit Mona-
chii, & hūc quoque ad majores suos
immigravit, longiore utique vitæ
dignissimus, nisi Cælo natum &
maturum Superi ad se potius evo-
cassent. Rem ipsam, amice Le-
ctor, ex Viri Nobilissimi Epitaphio
aureis literis marmori inscripto dis-
ce, quod ad posteros transmittere
operæ pretium duximus. Sic ha-
bet.

Joan. Fridericus L. B. à Bienzenau

Sereniss. Bavariae Electoris

MAXIMILIANI

à Secretis Consiliis,

Serenissimae Electricis

MARIAE ANNAE

Supremus Aula Praefectus

Duorum in Bavaria Summorum Tri-

bunalium Straubingae & Monachii

Supremus Iustitiae Praeses

Sol Iustitiae.

Suam huc projecit Umbram

Anno M. DC. LV. XI. Ianuarii.

Lux perpetua luceat ei.

Epitaph. Illu-
striss. D.
Joan. Frideri-
vici à Bien-
zenau.

Præter stabilem Sepulturam Baro-
num à Bienzenau etiam aliæ Per-
sonæ Illustris nominis de S. Seba-
stiano in vivis bene merita, jure
& titulo Benefactorum, templo
nostro illatae sunt. Quas inter fuit
Illustriss. Jochelina, Nata Baronissa
Gallo-Neoburgica, seu de Mörf-
burg, nupta Comitissa Schwar-
zenburgica, Matrona præstantis

Tumulus Illu-
striss. Com-
mitissæ à
Schwar-
zenburg,
ejusque Epi-
taphium.

P 4 omni-

omnino ac raræ Virtutis, quam
 Matthæus Raderus noster ob cele-
 bre nomen exquisitæ probitatis, ce-
 lectissimam sacri gynæcei gemmam
 in sua Bavaria Pia inter patriæ He-
 roinas collocare non dubitavit.
 Hæc, tamen Monachii piè obiit
 Anno M. DC. XXII, nihilominus
 ejus cadaver hûc allatum in Sacello
 S. Mauritii, quod ipsa sibi vivens
 pro sepultura elegerat, est repositum.
 Et quia Societatem nostram
 pro suo in nos liberali affectu, co-
 muni, quæ habebat, ex assè he-
 redem scripserat, Societas vicissim
 in grati animi memoriam Bene-
 factrici suæ monumentum ex du-
 raturo marmore posuit, inscrip-
 vitæ Elogio & Epitaphio aureis li-
 teris expresso, quod hîc appono.

Jochelina

*Gallo-Neoburgica Baronissa ortu,
 Comitissa Matrimonio Schvartzenburgico,*

Templo S. Sebastiani Ebersperga. 231

Hic jacere voluit,

Cum stare amplius non posset:

Iusta tum Conjugis, tum Vidua imago
Mariti obitu & ipsa obit.

Triginta duos annos

Sola cum solo DEO ita egit,

Ut Calo digna Calo reciperetur.

Decessit Anno Ætatis LIX.

Christi M. DC. XXII.

Die Februarii XVI.

Nulla mortalium cura, Beatita-
tis certa,

Etiam Cadaver Virtutem ostendit

Supra mortalem pulchritudine,

Et catenam corpus ambiente,

Atque intra intumescens, basamq;

Carnem propè visum fugiente.

Vivat DEO,

Quæ nulli alteri,

Dum viveret,

Vixit.

Ponè hanc accubat illustris ejus So-
ror Agnes de Mörsburg, quæ, uti
virtutis in vivis sedula imitatrix fu-

P 5 it,

it, ita quoque eodem cum Soror
tumulo ad D. Mauritium condi-
luit, piè admodùm defuncta Anno
Christi M. DC. XLIII.

*Tumulus Il-
lustriss. Co-
mitissa à
Mäxelrain
ejusque Epi-
saphium.*

Ex altera templi parte ad D. Vir-
ginis aram sepulta jacet Illustrissima
Comes Veronica à Mäxelrain, de-
functa Virgo itidem Monachii An-
no Christi M. DC. LVI. hîc tamen
condita, quia hunc sibi in virginitate
adhuc nidulum elegerat, in qua
mortua quiesceret. Quo enim in
gremio, quàm Divæ Virginis, mo-
lius jacere poterat? Vita ipsius spe-
culum virtutum fuit, in quod viri
feminæque rectius, quàm in vul-
tum, formamque humanam (fra-
gile bonum) intuerentur. Mortu-
æ Societas Jesu, quam ipsa quo-
que ex asse heredem scripserat,
monumentum ex porphyreico
marmore posuit, cui breve Epita-
phium literis auro tinctis incidi cu-
ravit, quod ut legas, amice Le-
ctor, hîc siste Viator.

Templo S. Sebastiani Eberspergæ. 239

Anno Christi M. DC. LVI.

Die XV. Julii

Per illustris Domicella Veronica

Comes de Mäxelrain &c.

Pia, Casta,

Solius virtutis amans,

Post longos vitæ,

Annorum LXVI labores,

Hanc quietem

Ad pedes Beatiss. Virginis

Virgo elegit

Digna Calo.

Bene precare Viator,

Et sequere.

Atque hisce memorabilia nostra
absolvimus, materiam illam scitu
dignam tumulo non illaturi, sed
beneficio historiæ ad posteros
transmissuri. Tu, Benevole Le-
ctor, ea quæ scripta sunt, pro tua
humanitate æqui bonique consule,
& quæ de cultu S. Sebastiani Eber-
spergæ etiamnum florente porro
dicentur, benigno oculo, uti cœpi-
sti, respicere perge.

CA-